



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 82. Fridericus Imperator Italiam petit, coronam Imperii recepturus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

per universitatis sententiam Licentiatus Sæcul. XV.
 gradu dejectus est, summa quæstionis ad A.C. 1452.
 Theologicam æque, ac juridicam Facul-
 tatem devoluta. Quinto demum anno
 eadem hæc caussa recrudit, cui ansam
 præbuit quædam Nicolai V. Constitutio in
 favorem Mendicantium edita.

§. LXXXII.

*Fridericus Imperator Italiam petit,
 coronam Imperii recepturus.*

Hoc anno prima Januarii Fridericus
 Cæsar in Italiam profectus, Romam
 petebat, ut Imperii coronam de manu
 Pontificis acciperet. Ducebat secum La-
 dislaum pupillum, Hungariæ, & Bohe-
 miæ Regem, Albertum fratrem suum,
 splendidumque Nobilitatis comitatum, sed
 pacificum, & inermem, nequid terroris
 inferret Italis, quorum mentibus alte ad-
 huc inhærebant Prædecessorum Impera-
 torum exempla Romanis oppido acer-
 ba. Nihilominus sola Cæsaris præsen-
 tia haud prucis terrori fuit; ipse quoque
 summus Pontifex, cum esset natura ti-
 midus, Friderici adventum suspectum ha-
 buit, ejusque occasione populi tumul-
 tum veritus, Capitolium, arcemque S. An-
 geli valido milite instrui, turresque, ac
 mœnia propugnaculis muniri jussit. Nec
 tamen adeo obstitit metus, quin Impe-
 rator

An. 1452.

*Nauclet. ge-
 ner. 49. p. 434
 Platin. in vi-
 ta Nicol. V.*

Sæcul. XV. rator ubique honorificentissime juxta ac
 A.C. 1452. lautissime exciperetur. Recenseamus

Dubrav. l. 28

memorable factum, quod ei, cum Venetiis moraretur, accidisse refert Dubravius, *Veneti*, inquit ille, *inde discessuro Imperatori Abacum ex vitro elegantissimo concinnatum, exornatumque donaturi erant, illumque inter alias ex auro, gemmisque divitias seposuerant: annuit Fridericus morioni suo, ut mensam reponendis vitris appositam commoveret, qua commota provolvuntur vitra, & confringuntur, arridente ad id Cæsare, atque dicente: nunquam aurea vel argentea vasa ad tam levem casum ita fuissent comminuta. Quo dicto Venetis significare voluit, sibi fragile adeo donum minime probari, sed dignioribus muneribus Cæsaream Majestatem honorandam.*

§. LXXXIII.

Imperator Venetiis Florentias, Pisas &c. profectus.

Cæsar Venetiis Ferrariam petiit, inde Bononiam, ubi a Bessarione Cardinale summo honore exceptus, atque a Nicolao Perroto eleganti oratione in ejus laudem dicta salutatus est, quem Cæsar idcirco lauro coronavit. Ceterum Legatis Francisci Sfortiæ, utpote cui jam a longo tempore infensus erat, dissimilem se exhibuit. His enim rogantibus, ut

Medio-

Nauclet. gener. 49. p. 474